

»Patres conscripti! hos, quorum numerum et pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia Princeps monebat: simul majores mei meruerant, ut posteros haberent. Nam ego, qui non pecuniam, non studia populi, neque eloquentiam, gentile domus nostrae bonum, varietate temporum accipere vel parare potuissem, satis habebam, si tenues res meae nec mihi pudori, nec cuiquam oneri forent. Jussus ab imperatore, uxorem duxi. En stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum! Nec ad invidiam ista, sed conciliandae misericordiae refero. Adsequentur, florente te, Caesar, quos dederis, honores: interim Q. Hortensii pronepotes, divi Augusti alumnos, ab inopia defende.»

## VIII. EPISTOLAE CICERONIS.\*

### I. CICERO TREBATIO S. D. \*\*

»Antonio post Caesaris necem rempublicam turbante, Cicero desperans libertatem, in Graeciam abire constituit. In quo itinere Topiconum librum scripsit, eumque Trebatio misit ab Rhegio, ubi et hae litterae sunt datae, de usu et interpretatione ejus libri docentes.»

Vide, quanti apud me sis, etsi jure id quidem. Non enim amore te vinco; verumtamen quod praesenti tibi prope subnegaram, non tribuerem certe; id absenti debere non potui. Itaque ut primum Velia navigare coepi, institui Topica Aristotelea conscribere, ab ipsa urbe commonitus amantissima tui. Eum librum tibi misi, Rhegio scriptum, quam plenissime res illa scribi potuit. Sin tibi quaedam videbuntur obscuriora, cogitare debebis, nullam artem litteris sine interprete, et sine

\* Editio Gottlieb Cortii, Lipsiae, 1749. \*\* Salutem dicit.